



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De gaudio, 12

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

morationem tuæ charitatis; mortis scilicet, & passionis pro salute nostra, pro quotidiana nostræ fragilitatis reparatione.

2. Confirmetur mens mea, inter tanta mysteria, dulcedine præsentia tuæ; sentiat te sibi adesse, & lætetur coram te, ignis, qui semper lucet, amor, qui semper ardet; dulcis Christe, bone Iesu, lumen æternum & indeficiens; panis vitæ, qui nos reficis, & in te non deficis; quotidie comederis, & semper integer manes: resplende mihi, accende me, illumina & sanctifica vas tuum, de malitia evacua, imple de gratia, & plenum conserva; ut ad salutem animæ meæ manducem cibum carnis tuæ: quatenus manducando te, vivam de te, vivam per te, perveniam ad te & repauserem in te.

C A P V T X I I.

De Gaudio.

1. **O** Dulcedo amoris, & amor dulcedinis; comedat te venter meus, & nectare tui amoris repleantur viscera mea, & eructet mens mea verbum bonum. Charitas Deus meus, mel dulce, lac niveum, cibus & gaudium, fac me crescere in te: ut sano palato possis manducari à me. Tu es vita mea, qua vivo; spes cui inhæreo; gloria, quam adipisci desidero. Tu mihi cor tene, mentem rege, intellectum dirige, amorem erige, animum suspende, & in superna fluentia os sitientis te spiritus trahe.

2. Taceat, quæso, tumultus carnis; con-

tescant phantasiae terrarum & aquarum, aëris & poli. Taceant somnia, & imaginariae revelationes: omnis lingua, omne signum, & quicquid transeundo fit. Sileat sibi & ipsa anima, & transeat se, non cogitando se, sed te Deus meus: quoniam tu es revera tota spes & fiducia mea. Est enim in te Deo & Domino nostro Iesu Christo, dulcissimo & benignissimo atque clementissimo, uniuscujusque nostrum & portio, & sanguis, & caro. Vbi ergo portio mea regnat, ibi regnare me credo. Vbi sanguis meus dominatur, ibi dominari me confido. Vbi caro mea glorificatur, ibi gloriosum me esse cognosco. Quamvis peccator sim, de hac tamen communione gratiae non diffido: Et si peccata mea prohibent, substantia mea requirit. Et si delicta propria me excludunt, naturae communio non repellit.

C A P V T XIII.

*Quod Verbum incarnatum sit causa
spei nostrae.*

1. **N**on enim tam inimicus est Dominus, ut non diligat carnem suam, membra sua, & viscera sua. Desperare utique potuissem propter nimia peccata mea & vitia, culpas & infinitas negligentias meas, quas egi, & quotidie indefinenter ago, corde, ore, & opere, & omnibus modis, quibus humana fragilitas peccare potest; nisi Verbum tuum, Deus meus, caro fieret, & habitaret in nobis.

2. Sed